

Victor Antiochen.
Lacinus.
Græcus.
Hieron.
Origen.
Paschas.

in cap. 9. Luc. citans Matthæi locum, sic & Victor Antiochenus Marci 8. non legant illud Iesus: tamen illud habet Biblia latina, Correcta, & Græca, & D. Hieronymus, Origenes, Paschasius, & communiter alij. & idem est sensus. Prohibuit ergo, ne cui dicerent, se, quia proprio nomine dicebatur Iesus, esse Christum, & Messiam, ac filium naturalem Dei, vt confessus fuerat D. Petrus. Rationem huius prohibitionis inquirimus.

3.
Ratio diff.
cultatis.

Ioan. 1. 5. 7.
& 8.

4.
Abulen.
Carthul.
Toleros.
Ne passio
poneret in
pedimentum.

Cur Christus prohibet modo suis Discipulis, prædicare, & annuntiare, ipsum esse verum Messiam, verum que filium Dei, cum Ioannes Baptista sit præmissus, hoc annuntians, & testificans Ioan. 1. à num. 23. Et Christus idem de se palam dixerit, ac pronunciauerit Ioan. 5. à num. 17. & Ioan. 7. 8. & aliis in locis?

Primò Respondent Abulensis quæst. 94. Carthusianus, Toletus in c. 9. Luc. ann. 42. Christum præcepisse Discipulis, vt nemini dicerent, ipsum esse Christum, ac filium Dei, ne passio opponeretur impedimentum. Sin enim cognouisset, nuncquam gloria dominum crucifixissent. Tamen hæc ratio non multum urget: quamuis enim Discipuli aperte testificarent, suum Magistrum esse verum Messiam, & filium Dei, nec hoc ita persuaderent, vt vehemens Pharisæorum, & Scribarum odium, & inuidiam extinguerent; nec enim illud mitigauit præclara Christi prædicatio locis citatis; nec Ioannis Baptistæ annuntiatio; nec vox populi proclamantis: *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Ioan. 6. num. 14. Et iterum *Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.* Luc. 7. num. 16. nec pueri clamantes. *Hosanna filio Dauid.* Matth. 21. num. 16. Quæ Messie erat propria proclamatio. Nec contra hoc obstat textus Lucæ. *Et increpans illos, præcepit, ne cui dicerent hoc: dicens, quia oportet filium hominis multa pati. Illud Quia videatur reddere causam prohibitionis, oportet multa pati: nõ obstat, ne cui diceret hoc, quod scilicet Petrus testificauerat; deinde Euangelista scribit dicens, tanquam addens, & subiiciens nouam rem. Particula Quia non indicat causam, sed est veluti declaratio, & idem est, ac quod, vt frequenter fit in Scriptura.*

Ioan 6.
Luc. 7.
Matth. 21-

Explicatur
extus D.
Luc.

I.
Origen.
Chrysoft.
Hieron.
Euthymius.
Theophyl.
Paschas.
Beda.
Thomas.
Caieran.
Malden.
Barradas.
Burgensis.
Cornel.
Chrysoft.

Secunda, & est valde celebris sententia Patrum, Origenis tract. 1. in Matth. D. Chrysoftomi homil. 55. in Matth. D. Hieronymi hoc loco, Euthymij, Theophylacti, Paschasij, Bedæ, D. Thomæ, Caieran, & aliorum, quam sequuntur Recentiores Maldonatus, Barradas, Lucas Burgensis, Cornelius, & alij qui docent, quod ante passionem voluit Dominus palam per Apostolos euulgari, ac prædicari, ne tenera fides, hominum animis in sita, ab eis esset euulsa scandalo imminētis mortis, ac passionis eius: quæ fides semel deperdita, valde difficillimum esset, vt postea in auditorum animos reuocaretur, nam, vt ait D. Chrysoftomus citatus, *Quid iam radices agit, si euulsum fuerit, non facile potest iterum plantatum pululare.* Ad hanc ergo prædicationem Apostolorum, expectandum fuit opportunum tempus, vt non solum fides mortis, sed etiam resurrectionis, ac gloriæ, ac omnium aliorum mysteriorum prædicaretur, vt sic facilius reticeretur. Quantum autem fides tempestate mortis, ac crucis sit perturbata, ipsa Discipulorum facta, è quibus vnus negauit, ceteri fugerunt, satis probant. Hæc sententia ob tantos Patres maxime veneranda est.

6.

Tertiò. Sic rem explico. Voluit Christus Do-

minus à principio ea agere, per quæ rebus ipse se ostenderet verum esse Messiam, ac verum filium Dei naturalem, & hoc etiam ipse, qui est sapientia æterna, & facile Iudæos confundebat, sæpè dixit, ac prædicauit, vt tanta veritas Catholica suo testimonio esset comprobata. Hanc autem veritatem suis Discipulis ante Diuini Paracliti aduentum, noluit committere ad prædicandum. Discipuli optimè cognoscebant, & credebant Christi diuinitatem; tamen si ipsi hanc veritatem aperte prædicarent, malignantium Iudæorum inuidia multa argumenta contra hanc veritatem opponeret, & obiceret, vt fiebat Christo prædicante, à quibus argumentis tunc Discipuli, vt pote adhuc imperfecti, non facile se expedirent, non enim pro eo tempore capiebant Scripturas, nam post Resurrectionem *Aperuit illis sensum, vt Scripturas intelligerent.* Luc. 24. num. 45. nec adhuc erant edocti à Diuino Spiritu. Ergo ad hanc prædicationem Apostolorum expectandum fuit opportunum tempus, vt ipsi à sancto Spiritu illustrati Scripturas intelligentes Christum Iesum verum esse Messiam prædicarent, ac annuntiarent, quando tunc ipsi optimè difficultates contra fidem oppositas soluebant, extricabant, ac comminebant. Sic ait Euthymius in cap. 16. Matth. *Inmissurus erat Spiritus sanctus intellectum Discipulis, & tunc omnibus publicari volebat diuinitatis, & passionis sue mysterium.*

Veritas exposi-
tio.

Luc. 24.

Prædicatio
committenda
viro illustrato,
& Scrip-
turas intelli-
genti.

Euthym.

7.

Confirmatur. Nam post Resurrectionem Christus mandauit Discipulis, Ierolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Et paulo post ait illis: *Accipietis virtutem superuenientis in vos Spiritus sancti, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudea, & Samaria, & usque ad vltimum terra.* Act. 1. num. 8. Postquam acceperint virtutem superuenientis Spiritus, tunc mandat eis, vt sint sui prædicatores, & annuntiatores: de qua re differens D. Bernardus serm. 8. in Cantica, ait: *Indutum virtute ex alto nulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit, vel stantem deuincere, vel subuicere dominantem.*

Act. 1.

Bernardus.

8.

Hanc sententiam me docuit magnus Ambrosius in cap. 9. Lucæ, explicans, Quare Dominus præcepit vt nemini dicerent hoc. Sic ait: *Multis ex causis Christus iubet tacere Discipulos, vt fallat principem mundi, vt declinet iactantiam, doceat humilitatem, simul ne rudes, & imperfecti adhuc Discipuli maxime prædicationis molibus opprimantur.* Pondera vltima verba pro nostro statuto. Ergo ne rudes Discipuli tâta mole prædicationis opprimerentur, induendi fuerunt virtute superuenientis Spiritus, vt postea dicerent, & prædicarent.

Ambros.

QVÆSTIO II.

Tractatur eadem quæstio quoad sensum
moralem.

Superiori quæst. tractata est difficultas in sensu litterali, nunc de sensu morali agimus. Et respondet Primò D. Hieronymus in Epist. de vera circumcisione. *Manuit, se inuentum esse, quam proditum, vt virtus sua illum, non fauor manifestet alienus.* Venit Dominus Iesus in mundum, vt se esse Christum, & verum filium Dei omnibus manifestaret: tamen mandat Discipulis vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus.

9.

Hieron.

Inten

Magnus decor, quod propria gloria alterius fauore non egeat.

10.
Origenes.

Christus præ amore sine Cruce, & passione suam gloriam perfectam, ac plenam non indicat.

11.
Passio gloria
armamentum.

Luc. 24.

12.

Cruce inter-
na, & lux ad
intelligenda
fidei mysteria.

Intendebat Dominus, vt sui notitia non deberetur humanis, ac alienis fauoribus, decenterque, se propria virtute, ac operibus monstrari, vt virtus sua illum, non fauor manifestet alienus, Magnorum virorum est, vt propria gloriæ diuulgatio; non aliena gratia, ac acclamatione, sed propria virtuti credatur. Et hoc magnus decor, vt eorum decantatio alterius fauori non debeatur, cum propria virtus, quandiu præfens existit, ad eorum publicationem large abundans consistat.

Secundò Origenes tract. 1. in Matth. *Mandat, ait, Discipulis, vt nemini dicant. Inutile enim est, ipsum prædicare, Crucem autem eius tacere. Propterea volens postmodum perfectius prædicari, præcipit, vt nemini dicerent, quia ipse est Christus: & præparabat eos, vt postmodum dicant, Quoniam ipse est, qui Crucifixus, & mortuus est.* Duas rationes subiicit ingeniosus doctor, cur Dominus tam rigide præcepit Discipulis, vt nemini dicerent, ipsum esse filium Dei. Vnam, *Inutile est, ipsum prædicare, Crucem autem eius tacere.* Alteram, *Volens postmodum perfectius prædicari.* Si de eo prædicaretur, ac testificaretur, quod esset Christus filius Dei naturalis, ac verus Messias, inutilis, & imperfecta esset prædicatio. Quid maius, & sublimius dici poterat? In tantum præ amoris magnitudine æstimat, ac appendit Crucis, mortis, ac passionis ærumnas, vt omnem gloriam, ac honorem, ei delatum, quodammodo inutilem, ac imperfectum censeat, nisi Crucis, ac passionis suæ ornamentis condecoretur. *Inutile est, ipsum prædicare, Crucem autem eius tacere.* Quandiu ergo contumeliæ mortis differuntur, & Crucem non ascendit, Discipulis præcipit, vt taceant, volens postmodum perfectius prædicari. Quasi quod suprema maiestatis gloria non videatur ei utilis, & perfecta, nisi à passione condecoretur. Mandat, vt nemini dicant, quod ipse est Iesus Christus; non enim vult, vt gloria sua quodammodo imperfecta annuntietur; sine Cruce, ac morte eam veluti plenam, ac consummatam non reputat, cuius eximium decus ab ipsa passione purpuræscit.

Tertiò ad eadem verba, *Inutile est, ipsum prædicare, Crucem autem eius tacere.* Mandat, vt nemini dicant, quod ipse est Iesus Christus, idest verus filius Dei, verusque Messias; ac si omnis gloria ærumnis passionis condecoretur, quasi suprema maiestatis gloria, ante expertas mortis contumelias, inutilis quodammodo censeatur; acsi antecedentes ignominie sint præclarum felicitatis ornamentum, & à dolorum acerbitate gloriæ decus venissetur: nam si felicitas ante passionem contingat, non condecorat possessorem, vt benemeritum, sed vt felicem; felicitas apud homines fortunæ casus reputatur, non verò meriti dignitas: hæc enim per pressuras comparatur. *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24. num. 26.

Quartò ad eadem verba. *Inutile est, ipsum prædicare, Crucem autem eius tacere; præcipit, vt nemini dicerent, quia ipse est Christus, & præparabat eos, vt postmodum dicant, Quoniam ipse est Christus, qui crucifixus est.* Vetat Dominus, vt ipse à suis Discipulis annuntietur in mundo, quandiu ipse Crucem non ascendit, quandiuque ipsa crux non est prædicanda: nam sine Cruce perfectè non prædicatur: ipsaque Crux præparat intellectum ad eius verba percipienda, & tanquam lux inseruit ad sermones eius intelligendos, ac percipiendos.

Cum Paulus multis erroribus teneretur, à Domino in via est prostratus. Et cum exinde tanquam cæcus nihil videret, mittitur ad eum Ananias, vt ab ipso confortatus, manuum impositione, visum recipiat. Cùmque ille venisset ad eum, *Imponens ei manus dixit: Saul frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto, & confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squammæ, & visum recepit.* Act. 9. num. 17. Vt infidelitatis squammæ, quæ erant tanquam piscis squammæ, vt voluit Lyrannus, & Caietanus, à Paulo depellantur, manus ei imponuntur, nam impositione manuum visum recepit, vt docent Chrysostomus, & Carthusianus. Cur ad hoc Ananias non potius insufflauit, vt Parens meus Elias ad vitam puero dandam? vel cur non amouit baculum, vel pallium suum extendit, vt Elisæus pallium Elisæ? Cur manus imponit? Impositi manus signo Crucis exhibitio, quo nihil est vtilius, ac aptius ad infidelitatis tenebras propulsandas, ad lucera, ac cognitionem in fide, ac rebus supernaturalibus infundendam. Germanus Ierolymitanus Orat. In Crucis adoratione apud Grethemerum tom. 2. *Oculus priuatus Paulus, ait, qui recta non intuerentur, sed solum distorta, obliqua, & reflexa diligere: nam squammæ, quæ de oculis eius ceciderant, serpentina squammæ esse videbantur, & totum Christum in se recepit, & simul cum Cruce lenatur.* Cum signo Crucis à cæcitate ad mirabiliū cognitionem eleuetur.

13.

Act. 9.

Lyrann.
Caietan.
Chrysoft.
Carthul.

Signo Crucis
illuminatur
Paulus.

Germanus.

14.
Marth. 24.

Agens Dominus de Iudicis aduentu, in cuius conspectu omnia sunt manifestanda, ait: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stella de celo cadent, & virtutes celorum commouebuntur: & tunc apparebit signum filij hominis,* Matth. 24. num. 29. Veniet Iudex, vt omnium intima, ac etiam occulta cordium patefiant: & tamen omnes mundi lampades extinguuntur, Sol, Luna, & stella à suo fulgore spoliantur: nunquid sine luce aliquid potest manifestari? Si omnia mundi lumina suo splendore priuantur, quomodo patebunt vniuersa omnium corda? Apparebit tunc signum filij hominis, apparebit Crux, quæ splendor est Sole, Luna, altris in cuius comparatione cuncta mundi lumina abscondita manent, & minime valent etiam tenuiter scintillare. D. Chrysostomus homil. in Crucem, & Laronem tom. 6. *Tunc, ait, Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum. Tanta erit tunc lucis copia, vt etiam lucidissima sidera sint abscondenda, Nam & stella cadent, & tunc apparebit signum filij hominis in celo. Vides quanta sit excellentia huius signi, quanta claritas, quantum fulgor? Sol obtenebrabitur, Luna non splendet, astra cadent, illud verò solum appareat, vt intelligas, illud & Luna splendidum, & Sole fulgentius esse.*

Cruce splen-
dior Sole, &
Luna.

Chrysoft.

QVÆSTIO III.

Quare Dominus hic præcipit, vt nemini dicant, ipsum esse Iesum Christum, cum Matth. 10. mandauerit annuntiare, regnum Dei appropinquare?

Hæc difficultas valde communis est. Præcipit hic Dominus, vt Discipuli nemini dicant, ipsum esse Christum, hoc est verum Messiam. At

Marth. 10.

Math. n. 7. suis Discipulis mandavit: Eumtes pradi-
cate dicentes, quia appropinquavit regnum Calorum.
Quod de sacratissimo eius aduentu intelligitur.

16. *Matth. 10. Ambros. Origen. Paschal. Beda. Thom. Vera inter-
pretatio.*

Respondetur cum D. Ambrosio in cap. 9. Luc.
Origene tract. 1. in Matth. & hic D. Hieronymo,
Paschasio, Beda, S. Thoma, & aliis, Christum
imperasse suis Discipulis predicare, regnum Dei
appropinquasse, ac proinde annuntiare, illud esse
tempus designatum aduentus Messia, de se autem
vt testificarent tanquam de vito magno, & insig-
ni; non tamen vt publicarent, ipsum esse verum
Messiam promissum; & hoc in praesenti prohibet,
vt exprimit D. Matthaeus, vt *nemini dicerent, quod
ipse esset Iesus Christus*, hoc est quod ipse, qui no-
mine appellabatur Iesus, esset Christus, seu Mes-
sias, vt habet Syriacus. Huiusmodi enim praedica-
tio referuabatur ad tempus post Resurrectionem.
Ac proinde solum mandavit annuntiare, regnum
Dei appropinquare, vt paulatim homines praepararentur
ad Evangelicam doctrinam; ac cum postea
praedicaretur, quod ipse esset verus Messias, facilius
reciperetur. Magna, & inopinata, non subito sunt
dicenda, sed sensim ad illa animi disponantur.

Matthaeus.

Syriacus.

Magna paulatim dicen-
da.

17.

Origen. Thom. Matth. 10.

Origenes citatus, & D. Thom. existimant prohi-
bitionem appositam respicere, ac extendi vsque
ad tempora post Resurrectionem; de hoc enim
tempore intelliguntur multa, quae cit. Matth. 10.
praedicantur: *In Synagogis suis flagellabunt vos, ante
reges, & praesides ducemini propter me*, &c. Prima
tamen interpretatio verior, & communior.

Matth. 16. Exinde cepit Iesus ostendere
Discipulis suis, quia oportet eum ire Ierofoly-
mam, & multa pati a Senioribus, & Scribis, &
principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

VERSIONES.

Syriacus. Ex eo tempore cepit Iesu-
chua indicare Discipulis
suis, se profecturum, &c.
Arias. Et tunc cepit Iesus ostendere:
& tertia die excitari.

ALTER TEXTVS.

Marc. 8. n. 31. Et cepit docere eos, quonia
oportet filium hominis
pati multa, & reprobari a
Senioribus, & a summis
Sacerdotibus, & Scribis,
& occidi: & post tres dies
resurgere.

Luc. 9. n. 22. Dicens, quia oportet filium
hominis multa pati, &
reprobari a senioribus, &
principibus sacerdotum,
& Scribis, & occidi, &
tertia die resurgere.

EXPOSITIO II.

18. Graecus.

Exinde, Graecus, Ex eo tempore, quo scilicet
Petrus eum confessus fuerat filium natura-

lem Dei, & tam illustri confessione, vt dig-
nus sit inuentus, qui Ecclesiae fieret funda-
mentum. Tunc Dominus de sua morte cepit age-
re. Vel *Exinde*, Quali ex eo tempore, quo ipse
est habitus, & cognitus vt Deus, ad ostensionem
suae bonitatis, pro salute hominum pati, ac cruci-
figi quodammodo teneretur. *Exinde*, quo ipse
firmiter cognitus, & confessus est a Discipulis
suis verus Deus, *Cepit Iesus ostendere Discipulis
suis*. Antea obscure, & sub parabolarum inuolu-
cris suam passionem insinuauerat Ioan. 2. num. 19.
& 3. num. 14. Nunc autem clare, & aperte. Et
cur non antea? Quia, cum filium Dei iam con-
fessi erant, digni inueniebantur, quibus mysterium
passionis explicaretur. Quia duo sunt prin-
cipia fidei: Christi diuinitas, & humanitas, ac
passio, quam in sua humanitate permixta, ac nos
redemit. Et ita apud Lucam habetur, *Oportet fi-
lium hominis, quia moriturus erat*, non vt Deus,
sed vt homo, ac vt filius hominis. Tandem cum
cognoscerent Discipuli Christum verum Deum,
aperte deprehendebant, quod ipse morti trade-
batur, non ex imbecillitate, sed ex sua voluntate.
Et etiam hac de causa hic eis ea praedicit, vt no-
tarunt D. Chrysof. Euthym. & Theophyl. qui ait:
*Praedicit Christus passionem, ne inexpectata illa ve-
niente offendantur, putantes, quod inuitus, & non
praesciens passus esset.*

Proprium
Dei pro suo
rum salute
mori.

Ioan. 1. & 3.

Luc. 9.

Chrysof. Euthym. Theophyl.

19.

Quia oportet, non absolute, sed ex decreto Pa-
tris. Primo vt pro peccato generis humani contra
Deum infinitum commissio fieret satisfactio de
rigore iustitiae, quam solus filius Dei factus homo
coegrua ratione soluere valebat. Secundo, Quia ita
oportebat, *Christum pati, & ita intrare in gloriam
sua*. Luc. 24. num. 26. Tertio vt homines per
Christi mortem redempti instruerentur ad imi-
tandum, ferendamque eius crucem.

Matth. 16. Et assumens eum Petrus,
cepit increpare illum, di-
cens: Absit a te, Domine,
non erit tibi hoc.

VERSIONES.

Syriacus. Etprehendens eum Petrus,
cepit eum obiurgare, in-
quiens: Propitius esto
tibi, Domine mi, quomi-
nus hoc tibi contingat.
Euthymius. Assumens eum Petrus cepit
reprehendere illum.
Theophylact. Et cum abduxisset illum
Petrus, cepit increpare.
Graecus. Parce tibi, non erit tibi hoc.
Arias. Clemens tibi sit, Domine.
D. Athan. de Miscrearis tui, Domine,
human. contra Appollin.

ALTER TEXTVS.

Marc. 8. n. 32. Et apprehendens eum Petrus
cepit increpare illum.

EXPOSITIO III.

Assumens eum, D. Marcus scribit, Appre-
hendens eum, scilicet Iesum, summe sibi
dilectum,

dilectum, Petrus, vt seorsim secretius, ac familia-
rius eum increparet, vt solems agere cum amicis,
vt exponunt D. Chrysof. D. Hieron. Beda, Euthy-
mius, & alij. Nam praesentibus Discipulis temerarium
iudicauit Petrus, ait D. Paschasius, Do-
minum arguere. *Cepit increpare illum*, non obiur-
gantis auctoritate, sed ardenti amantis, ac con-
dolentis affectu, eo quod Dominus diceret, se
oportere pati, & occidi. Nam Petrus ex diuina
reuelatione cognoscebat Christum filium Dei, ac
proinde credebat, facile posse omnia illa vitare;
quae autem hic dixit, non ex reuelatione, sed a se
est locutus, *Cepit increpare illum*. D. Paschasius
lib. 8. in Matth. *Hic error Apostolicus de confiden-
tia venit*. De quo quaest. sequenti. Et quia modo
Petrus multis fauoribus a Domino fuerat cumu-
latus, vt ab eo esset dictus Beatus, suaeque Ecclesiae
fundamentum constitutus. Euthymius, *Increpauit
eum, quasi sumpta libertate, eo quod beatificatus esset*.
Quis non videat, quod principum fauores mul-
tum animum, & confidentiam suis familiaribus
ingerant.

Chrysof. Hieron. Beda. Euthym.

Paschal.

Euthym. Principum fauores dant confidentiam.

21.

Graecus. Syrus.

Gen. 18. & 44. 1. Reg. 10. 2. Reg. 23. Arias. Paschal.

Absit a te, Domine, vt mors tam indigna, &
crudelis tibi obueniat. Quis enim potest ferre, fi-
lium Dei crucifigi, & mori? Graecus habet, *Propitius
tibi esto*. Syrus, *Parce tibi*, seu, *Prohibito
tibi, eodem sensu*, vt talis mors tibi accidat, atque
crucis patibulum tibi contingat. Haec voces, phra-
ses sunt Hebraicae, quae eundem habent sensum
Genes. 18. num. 25. & 44. num. 7. 1. Reg. 20. n. 2.
& 2. Reg. 23. num. 17. Arias transfert, *Clemens
esto tibi*, vt velis tam dura tibi assumere. Et dum
Petrus ait, vt inquit D. Paschasius, *Propitius esto
tibi*, intelligit, quia si nolueris, non erit tibi ta-
lis mors.

QUESTIO IV.

Quare magnus Petrus hic cum tanta igno-
rantia loquitur, vt dicat, Absit
a te, Domine.

22. Origen. Chrysof.

Ethicos. 8.

Hieron.

Euthym.

Hugo.

Abulens.

Magis obligatus pro Domino loquitur.

ORIGENES tract. 1. in Matth. D. Chry-
sostomus hom. 55. testantur D. Petrum haec
dixisse, *amoris ardore*. Sicque communiter omnes
referunt haec ad eius eximium amorem, & zelum;
nam amici maxime sibi desiderant bona; scilicet
esse, & viuere, Ethicos. 8. Et Petrus, cum in hoc
negotio non saperet, quae Dei sunt, sed quae ho-
minum, cogitabat, bonum esse Christo viuere, &
non mori. D. Hieronymus sic ait: *Assumit eum in
affectum suum, & cepit increpare illum amantis affe-
ctu, & optantis dicere, Absit a te, Domine, non
erit tibi hoc: non potest fieri, nec recipiunt aures meae,
vt Dei filius occidendus sit*. Et postea subdit, quod
Petrus sic fatur ex pietatis affectu. Euthymius, ex
quadam libertate, & confidentia amicitiae. Cardi-
nalis Hugo, *Fortè hoc dixit, ait, ex perturbatio-
ne mentis, sicut amicus audito grandi malo amici,
dicit: nunquid hoc erit? Ex quo deducitur ratio,
ob quam ex omnibus Discipulis Petrus Dominum
increpat, quia, vt ait Abulensis quaest. 106. Petrus
coeteris erat audacior, ac amore erga Christum
feruentior. Deinde moraliter, quia D. Petrus pro
sua confessione a Domino modo fuerat beatifica-
tus, maximumque ei primum promissum; indeque
maximè se abstractum agnouit, vt pro Domino sta-
Sylueira in Euang. Tom. IV.*

ret, pro illoque vt sibi persuadebat, verba faceret.

Secundo. Quia, vt patet ex subiunctis ei dixit,
Quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum:
non considerabat altum Dei consilium, sed
ea, quae humano appetitui proportionata vide-
bantur. De quo latius expositione sequenti. Ter-
tio Theophylactus, *Id, quod reuelatum erat, ait, Pe-
trus rectè confessus est; in eo autem, quod non reuelatum
est, lapsus: vt sciamus, quod absque Deo, neque
ille locutus est magnum quiddam. Cum D. Petrus ex
asslatu Dei verba profert, Tu es Christus filius Dei
vini, rectè dicit: cum verò a se loquitur, Absit a
te, Domine, statim errat. Ex Dei gratia, vt inquit
D. Chrysof. S. Thomas, multum, homo
euolat, ac penetrat; cum verò iudicio suo duci-
tur, statim prolabitur, ac in eo defectus apparet.*

23.

Theophyl.

Chrysof. D. Thom. Homo ex suo iudicio errat.

24.

August.

Errat seruus, cum vult lege domino dare.

Quarto D. Augustinus in Psal. 55. premens
verba Apostoli. *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc*.
sic eleganter fatur: *Dicis, Absit, & dicis, Domine?*
viuque, si Dominus est, potestate facit. Seruus
non debet domino suo praescribere leges, sed eius be-
neplacitum expectare, & sequi. Cum ergo D. Pe-
trus a sua sphaera velit proflire, & Domino mo-
dum assignare, statim cum ignorantia agit, &
errat.

Quinto. Idem D. Augustinus in Psalm. 62. *Non
sapis, ait, quae Dei sunt, sed quae hominum. Quare
quis sunt hominum? Quia antecedere me vis, Redi
post me, vt sequaris me*. Vnde D. Petrus in tantam
venit ignorantiam, vt sapiat quae hominum sunt,
non quae Dei? forsitan quia primum crucis sibi
ambiebat, ac prius crucis gloriam volebat arripere.
Quia antecedere me vis. Valde ingenuum homini,
in omnibus primum velle tenere, in vniuersis-
que illum intendere.

25.

August.

Homo vult primum ambire.

Sexto. Germanus Patriarcha Orat. in Exaltatio-
ne crucis contra Bogomillos: *Quid Petro firmius,
ait, cui nec caro, nec sanguis filium Dei reuelauit?*
*Nihilominus, cum Magistrum ad crucis patibulum
festinatem intelligeret, conatus quidem est, cursum
illum, & festinationem prohibere. Sed contra audit:
Vade post me, Satana. Omiraculum ingens! Sa-
tanas appellatur magnus Petrus, quod crucem de-
trechet; & vt petra scandali, & lapis offensiois retrò
abicitur infractum illud Ecclesiae fundamentum. Val-
de firmus exitit Petrus in sua confessione, Tu es
Christus filius Dei vini, vt inde promeruerit costitutum
firmissimum Ecclesiae fundamentum, Super hanc
petram aedificabo Ecclesiam meam. At verò modò
cum a Magistro crucem dimouere intendit, statim
valde infirmus, ac veluti petra scandali apparet,
Vade Satana, scandalum es mihi. Vnde tam firmus
tam infirmus factus? Cum Petrus Christi di-
uinitatem faceret, valde firmus consistit; ac cum
crucem cepit recusare; ac detrectare, statim la-
bilis, ac infirmus apparet. Omnis enim cognitio
diuinorum, ac omnium supernaturalium bono-
rum vbertas a praesidio, ac tutamine Crucis in no-
bis firmatur, ac corroboratur.*

26.

German.

Praesidio crucis in omni bono roboramur.

Ait Paulus ad Rom. 6. num. 13. *Exhibete vos
Deo tanquam ex mortuis uiuentes, & membra ve-
stra arma iustitiae Deo*. Exhortatur nos Apostolus,
quod cum olim essemus mortui per peccatum,
nunc autem vini per gratiam Christi, vt exhibea-
mus membra nostra tanquam arma iustitiae. Sed
quo gratiam per Christum adeptam conseruabi-
mus? & quibus armis muniuntur membra nostra
ad iustitiam retinendam? Praestantissima arma nobis
sunt ad hac omnia crucis signaculù. D. Merh. apud
Gretch. tom. 2. de cruce. *Primogenitum Verbum Dei*,
ait,

27.

Rom. 6.

Crux nobis arma ad gratiam conseruandam.

Methodus.